

NVMMVS TRIYMPHALIS
ANTVERPIENSIUM: OB LIRAM, QUÆ A
foederatis Belgicis iam occupata erat, receptam,
conservatam: Anno Christi

1595.



EST in Brabantia Lira oppidum, tribus Antuerpiâ
milliaribus distitum, naturâ situque munitum: ex
quo faciles in omnem circum Regionem excursio-
nes fieri possunt, totique Brabantiæ vis inferri. Ad
hanc opprimendam confederati consilia inierunt:
missisque, qui cæcæ noctis beneficio scalas admo-
verent, quâ fossæ minus altæ. Sub auroram 14.
Octob. urbem pauci ingressi sunt, cæsisque custo-
dibus portarum claustra effringentes, reliquam co-
ho-tem, quæ foris signum eventus expectabat, immiserunt. Hi effusè ad-
missi, licet aliquoties ab oppidanis, qui tum fortè numero pauciores ob
evocata præsidia repellerentur, medio foro signa defixere. Alphonfus de
Luna præfectus erat urbi, & rei novitate primum territus, sumpto animo
cum paucis portæ Lisperensis molem occupat, adductisque machinis bel-
licis stationem undique tuetur dolijs, carris, aliisque quæ se obiecerant,
impedimentis hosti aditum præcludens. Inde vicinis Antuerpiensibus,
Mechliniensibusque nunciavit, quo in discrimine urbs versaretur: qui nul-
lâ morâ interpositâ, tympanæ sonitu omnes arma capiunt, & Antuerpiæ
quidam Centuriones Quindecim ad hanc sese expeditionem accingunt:
pauciores Mechliniæ: qui omnes in agro Lirano iuncti circa meridiem ad
portam, quam adhuc Alphonfus obtinebat, convolant, adiunctisque sibi
150 Hispanis, qui ex arce Antuerpiensi accefferant, urbem invadunt. Octo
horæ intercesserunt, ex quo ab hoste urbi occupata, desperatâ iam penè sa-
lute, pristinae sorti & incolûmitati restituitur. Quippe enim hostis nec in
publicum egredi, nec intra muros subsistere audebat: cedenti portarum
obices obiecti erant: manentem hostilis mucro dilaniabat: contextum ci-
vilis furor publicum faciebat. Itaque in circumfluas fossas præcipitem se
dare, aut hostilem clementiam, quæ eâ tempestate immitis esse solet, experi-
ri. *Magistratus Antuerpiensis, qui potissimum hanc sibi gloriam vendicabat, numis-*